

Eatenus quidem in locis papisticis concedi potest, hactenus minimè.

19. *An conciones funebres legitimo jure habeantur?*

Resp. Affirm. 1. Qvia est antiqua consuetudo, etiam Judæis in Vet. Test. usurpata, unde Rabbini scribunt: *nullum funus in Israel factum est sine sermone prophetico.* 2. David in funere Abner, Imperatoris militiæ, ejusmodi concessionem habet, 2. Sam. 3. 3. Similiter etiam Christo fecit Centurio conversus, *Math. 27.* 4. In Ecclesia Novi Test. idem usitatum fuit, ut Dionysius Areopagita, Nysenus, Ambrosius, testantur. 5. Etiam Gentiles fecerunt, ut de Ægyptiis scribit Alexander ab Alex. 6. de Germanis antiquis idem refert Crantz in Metropoli lib. 9. cap. 28.

20. *Quomodo cum Cæmeteriis decentur agendum?*

Resp. 1. Loco sicco & aprico ponantur. 2. Ubi venti perflare possint. 3. Muniantur aggeribus & parietibus, ne canes & sues pertranseant, & sepulchra diruant. 4. Prohibeantur discursus hominū vanissimorum, qui saepe calcant & disjiciunt tumbras. 5. Præserventur à sordibus & stercoribus, quæ vicini solent injicere. Vide *Deut. 23, 12. 13. 14.*

IN LOCO DE RESURRECTIONE MOR- TUORUM.

THEOREMATA.

1. **D**uplices datur Resurreccio in Sacris: altera est resipiscientia à peccatis, *Eph. 5, 14. Apoc. 20. v. 5. 6.* Altera est resuscitatio à morte naturali, *Dan. 12, 2.* Notat quoque liberationem ex calamitatibus, *Psal. 9. v. 14.*

2. Dicitur autem Resurreccio, quasi Reerectio, scil. ejus quod cecidit. Hebraicum est קַיִמְתָּה הַבָּשָׂר תְּקִימָתָה resurreccio carnis, vel חַיְנָתָה חַמְתָּה vivificatio mortuorum. Græca sunt ἀνάστασις, ζεγόντος, αναβίωσις, ανάζησις.

3. Resurrectionem mortuorum probant. (1.) Scriptura dicta, *Ezech. 37, 5. 6. Dan. 12, 2. Job. 5, 39.* (2.) Exempla, 1. *Reg. 17. 2 Reg. 4. Luc. 8. Job. 11.* (3.) Typi, ut sunt: Germinatio virgæ Aaronis, *Num. 17.* Liberatio Jonæ e ventre ceti, *Jon. 2.* (4.) Rationes: iustitia divina postulat, unicuique secundum facta retribui. At hoc

oooo

non